



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 3. Deus iis quibus aufert cor lapideum, & donat carneum, impertit
gratiam Contritionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

PECCATORIS. 9

ineffabili gratiæ suæ operatione mutat cor nostrum ab eo quod prius pravè diligebat, in id quod diligere debet; quod se facturum promisit cum dixit: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini.* *Exech. 36: vers. 26.*

§. III.

Deus iis quibus aufert cor lapideum, & donat carneum, impertit gratiam Contritionis.

Auferens nobis Deus cor lapideum & tribuens cor carneum, hoc est interprete Augustino, cor obediens, divinis iustis cedens & obtemperans, convertit nos, impertitque conversionis gratiam, quam dicit Manuductio non omnibus esse communem, ac precibus piisque laboribus à Deo requirendam: non enim eam habent quibus adhuc cor est induratum, imo exigentibus prioribus culpis, Dei iudicio induratur. Valdè enim sibi contraria sunt, auferre cuiquam cor lapideum, hoc est, ut idem Augustinus, cor durum, & cor ejus indurare: *Induravit autem Dominus cor Pharaonis; induravit & cor Judæorum, qui Christo non crediderunt.* *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. Ibid. Exod. 10. v. 20. Ioan. 12. v. 40.*

Et

10 C O N V E R S I O

Et quamvis id non nisi ob præcedens de-
meritum contingat (propter quod à S.
Ad object. Prospero dictum est : *gall. disp. 11* Cum verò aliquos à
Deo aut traditos desideriis suis , aut obduratos le-
gimus , aut relictos magnis peccatis suis , hoc ip-
sos meruisse profiteamur : quia talia eorum crimi-
na præcesserunt , ut sibi ipsi pœnas debuerint ,
quæ eis etiam supplicium verterent in reatum.
Atque ita nec de iudicio Dei querimur , quo dese-
rit , meritos deserit ; & misericordiæ ejus gratias
agimus , quâ liberat non meritos liberari. Con-
tingit tamen ; quibus autem contingit ,
hoc est , quos Deus indurat , jam non eis
tribuit istam conversionis ac pœnitentiæ
gratiam , auferentem cor lapideum &
dantem cor carneum , ut sit illi dumtaxat
consentiendum.

Hujusmodi ergò dum Dei spiritu corn-
puncti cordis sui durtiem agnoscere at-
que odisse incipiunt , oportet ad eum quo
illa auferenda est , oculos convertere ,
ejusque opem quâ auferatur implorare. Si
L. de recta cor obduratum habeas , ait S. Ephrem , plora
vivendirat. coram Deo , ut cognitionis tibi lumen , addo
m. 16. conversionis gratiam , cor lapideum au-
ferentem , infundat. Hanc gratiam peti-
mus , cum in longa illa Ambrosii oratio-
ne ante Sacrum nobis ad legendum præ-
scriptâ precantes Deo dicimus : *Aufer à*
nobis

PECCATORIS. II

nobis iniquitates nostras: & ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, & da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te persruatur.

Supervacaneum nunc fuerit S. S. Patrum sensum circa præensam hanc fidem operosius indagare. Is tamen vel solus illi evertendæ, ac falsitatis convincendæ sufficeret. Si enim, ut testis est sanctus Fulgentius, & ipse inter eos venerandus, Apostolicæ prædicationis tenentes per omnia veritatem, certissimè cognoverunt, cognoscendumque libris & epistolis reliquerunt, gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari. Propter quod idem inferius: Gratia igitur, inquit, in utroque operatur: scilicet & in errante ut correctus vivat, & in correcto ne depravatus abscedat. Non omnibus autem istam gratiam dari, & quibus datur non omnibus æqualiter dari, quisquis piè quærit, eloquiorum sanctorum attestazione cognoscit. Hinc sexaginta & eò amplius Episcopi, cum ipso in Sardinia exules in Synodica sua Epistola: De gratia verò, aiunt, non dignè sentit, quisquis eam putat omnibus hominibus dari. Hoc deinceps posteriores S. S. a Gregorius, b Isidorus, c Anselmus, d Bernardus, e Thomas, aliique sunt secuti.

L. I. de ver.

prædest. cap.

15.

Ibid. c. 17.

Cap. 9.

L. I I. mo.

cap. 5.

b L. 2. sent.

cap. 5.

c L. de conc.

grat. & lib.

arb.

d Ser. 73.

sup. cant. c.

7.

e L. 3. con.

CAPUT gent. c. 161.